

Sed jam, Virgo pia, digneris sancta Maria,
Nequitiae mores vitæque levare labores,
Hinc fratres socii dignas impartite grates.
In festo die cantemus digna Mariæ,
Laudem dicamus illi doxamque feramus :
Accessi portum, quo mihi cursus erat.

COMPUTATIO AB ANONYMO.

Sunt anni ab origine mundi, sicut in Orosio legitur, usque ad nativitatem Christi, quinque millia centum nonaginta novem. Ab orbe condito usque ad urbem conditam, anni sunt quatuor millia quatuorcentum quadraginta septem. Ab urbe condita usque ad nativitatem Christi, anni sunt septingenti quinquaginta duo; sicque sunt anni quinque millia centum nonaginta novem. Exinde anni Domini supputantur.

DE URBE ROMA.

Roma, urbs in Italia, totius quondam orbis domina, a conditoris sui Romuli nomine sic vocata: quam propter eximiam virtutem plerique scriptorum quasi sola esset, appellare Urbem malebant. Quæ quidem, ut Orosius in chronica sua commemorat, post annos quatuor millia quadringentos quadraginta septem, id est, septingentesimo quinquagesimo secundo ante incarnationem Domini anno, condita est.

A Nobilibus quondam fueras constructa patronis,
Subdita nunc servis, heu male Roma ruis.
Desoruerè tui tanto te tempore reges,
Cessit et ad Græcos nomen honosque tuos.
Constantinopolis florens, nova Roma vocatur,
Moribus et muris Roma vetusta cadis.
Transit et imperium, mansitque superbia tecum.
Cultus avaritiæ te nimium superat.
Vulgus ab extremis distractum partibus orbis,
Servorum servi, nunc tibi sunt Domini.
In te nobilium rectorum nemo remansit,
Ingenuique tui, rura Pelasga colunt.
Truncasti vivos crudeli funere sanctos,
Vendere nunc horum mortua membra doles.
Nam nisi te meritum Petri Paulique foveret,
Tempore jam longo Roma misella fores.

DE TREVERENSIVM URBE.

Nini Semiramis quæ tanto conjuge felix,
B Plurima possedit, sed plura prioribus addit.
Non contenta suis, nec totis finibus orbis,
Expulit a patrio privignum Trebeta regno.
Profugus insignem nostram qui condidit urbem,
Treveris huic nomen dans, ob factoris amorem.
Quæ caput Europæ cognoscitur antiquitate,
Filius hujus hero, patris hæc epigrammata pono.
Cujus ad inferias hic cum Jove Mars tenet aras,
Sidere concordi pax est non dissocianti.

EPIGRAMMA DE BEATO JOANNE ET EJUS APOCALYPSI.

Exsul ab humano dum pellitur orbe Joannes,
Et vetitus Coici est cernere regna soli,
Intrat ovans cæli Domino dilectus in aulam,
Regis et altithroni gaudet adesse choris.
Hic ubi subjectum sacra lumina vertit in orbem,
Currere fluctivagas cernit ubique rates,
Et Babel ac Solimam mixtis configere castris :
Hinc atque hinc vicibus tela fugamque capi.
Sed mitem sequitur miles qui candidus Agnum,
Cum duce percipiat regna besta poli.
Squammeus est anguis, per Tartara cæca maniplos

Submergit flammis, peste fameque suos.
Hujus quæ facies studiumve ordoque duelli,
Ars quæ, quæve phalanx, palma vel arma forent,
Pandere dum cuperem, veterum sata lata peragraus,
Excerpsi campis germina pauca sacris,
Copia ne potior generet fastidia mensis,
Convivam aut tenuem tanta parare vetet.
Nostra tuis ergo sapiant si fercula labris,
C Regnanti laudes da super astra Deo.
Sin alias, animos tamen amplexatus amicos,
Quæ cano corripiens, pumice frange, rogo.

PARÆNETICORUM VENERABILIS BEDÆ OPERUM SECTIO QUARTA IN QUA CONTINENTUR EJUS EPISTOLÆ.

EPISTOLA PRIMA,

AD ALBINUM ALBATEM *.

(Giles, Opera Bedæ, tom. I.)

Desideratissimo et reverendissimo Patri Albino,
Beda Christi famulus, salutem.

Gratantissime suscepti munuscula tuæ dilectionis,
quæ per venerabilem fratrem nostrum Nothelmum
presbyterum mittere dignatus es, et maxime litteras,

* Albinus abbas, cui venerabilis Beda hanc epistolam direxit, auctor ipsi fuit atque adjutor scribendæ Anglorum Historiæ, uti Beda testatur in

D quibus me jam secunda vice in ecclesiastica gentis
nostræ historia, ad quam me scribendam jam dudum
instigaveras, creber adjuvare atque instituire
curasti. Propter quod et ipse tibi rectissime eandem
historiam, mox ut consummare potui, ad transcribendum
remisi. Sed et aliud, quod te partim desiderare
comperi, volumen tibi vice remunerationis æque
ad transcribendum destinavi, videlicet, illud
quod de structura templi Salomonis atque allegorica
epistola nuncupatoria ad Ceolwlfum regem. Albinus
iste alius est ab Albino Flacco seu Alcuino, uno
fere sæculo ætate superior; abbas vero in Cantua-